[redacted]

Huic libello rarissimo opposita est
" Arngrimi Jona, I. Candi, Anatome
" Blefkeniana, qua Dithmari Blefke=
" nii Viscera magis praecipua in li=
" bello de Islandia 1607. edito, con=
" vulsa, per manifestam exentera=
" tionem retexuntur. Hamb. 1613. A°.

1692

4.949.1
13b

DITHMARI BLEFKENII

# ISLANDIA,

SIVE

Populorum & mirabilium quæ in ea Insula reperiuntur

ACCVRATIOR DESCRIPTIO:

*Cui de* GRONLANDIA *sub finem quædam adjecta.*




LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Typographeio Henrici ab Haestens,
CIↃ IↃ CVII.

LAND
27.6471
ISLANDS

Illuſtribus, Potentibus,
Generoſis, & Nobiliſſimis
DOMINIS,
HOLLANDIÆ & VVESTFRISIÆ
ORDINIBVS,
*PATRIBVS PATRIÆ,*
Dominis ſuis reverenter colendis.

VNiverſa hæc rerum natura, mirandum theatrum eſt, in quo Deus ſe conſpici, & expreſſa teſtimonia ſuæ præſentiæ, ſapientiæ, & bonitatis conſiderari voluit. Ideo tantam varietatem artis in conſtructione, collocatione, & viribus, immenſæ ſapientiæ adhibuit, ut fateri homines cogerentur, hoc pulcherrimum

opificium non casu conflatum esse, & firmissimo adsensu statuerent huic menti architectatrici oportere homines subditos esse, & mores nostros congruere oportere ad illam æternam normam, quæ in ipso conditore, qui lucis suæ radios in nos transfudit, & ipsum conditorem veris laudibus celebrandum esse. Propter hanc tantam causam, naturæ considerationē necessariam esse manifestum est. Deinde & utilitate nostra movemur, quærenda enim sunt vitæ præsidia in hac tanta varietate rerum. Quamquam autē nemo satis instructus spectator esse naturæ potest, omnes enim sumus negligentiores in aspicienda natura quam par est, atque non

non omnibus contingit coràm universa Dei mirabilia, & totam terram, in qua Deus singulari sua sapientia, diversa dona, diversa miracula naturæ, & monstra condidit, quæ omnia ad opificis laudem pertinent, perquirere, & aspicere. Tamé ne ipsius Dei opificis potentia, atque mirabilia, imo inscrutabilia opera hominibus incognita manerent: semper Deus excitat aliquos, qui etiam è longinquo nobis quod viderũt patefaciunt. Vt ita omnia Dei conditoris opificia nos de ipsius potentia, sapientia, & bonitate, commonefaciant.

Cum ego verò ante XL annos multa in Issandia naturæ miracula, stupenda, ac omni admiratione

digna viderim, quæ quidemab Historicis, qui Islandiæ meminerunt, ut sunt, Saxo Grammaticus, Olaus Magnus, Crantzius, & Munsterus, sunt omissa, eò quod illi Islandiam non viderunt, hæcque nobis incognita : tamen cogitans de iisdem rebus, quæ ad laudem, & admirationem sapientiæ, & immensæ potentiæ, gratiarumque actionem invitant, de consilio bonorum virorum, qui invisibilia Dei ex creaturis per opera ipsius intelligunt, ipsamque æternam eius potentiam ac divinitatem conspiciunt, ut Apostolus ait, statui hoc Scriptũ, in quo multa Dei mirabilia opera continentur, in lucem emittere. Neque enim dubium est, quin eiusmodi creaturarum

rum visibilium vera cognitio plurimũ habeat momenti ad omnipotentis Dei pleniorẽ cognitionẽ apud eũ qui verę fidei lumine interius illustratus, quãcumq; oculis foris contemplatur, in Dominũ Creatorẽ studet regerere, & ad eius potentiam, sapientiam, bonitatem omnia referre. Neque difficile erit ijs in quibus est Dei cognitio, cum specie mirabilium capiuntur, aut delectantur, quæ habet mundus, virtutemque & opera eorum mirati fuerint, intelligere ex his, quanto eorum Creator & Dominator est fortior qui omnia ex nihilo fecit. Sub vestro igitur Viri Illustres patrocinio in lucem prodire volui, quorum opera, studio, & impensis remotissima quæque lo-

ca hodie nobis fiunt cognita, ex quibus non modò merces varij generis ad vitæ noſtræ utilitatem, verùm multa Dei antea nobis incognita miranda opera perferuntur. Vos verò Viros Illuſtres precor, ut hoc opuſculum placido ac benevolo animo accipere velitis. Ego Deum Optimum Maximum & publicè & privatim rogabo, ut veſtris ſanctis conſiliis & laboribus magis ac magis benedicat, ad ſui nominis gloriam, Eccleſię ædificationem, Patrię ſalutē Amen. Datum anno CIↃ IↃ CVII.

# Ad Lectorem.

*CVm jam anni pluſquam quadraginta ſint, Lector, quod ex Iſlandia rediĳ, mirari poſſis, quare nunc demum hoſce commentariolos in lucem prodire ſinam; cauſam igitur tam diuturni ſilentiĳ indicabo. Ex Iſlandia renavigavi Liſsabonam, ubi Regias naves aliquot, ad Herculis Columnas in Indiam navigare paratas, in anchoris eſſe audiveram. Cupiditate videndi Indiam accenſus, duobus Germanis, qui & ipſi quod & ego cupiebant, comitatus, terreſtri itinere eò ſumus profecti: ſed naves priuſquã veniremus ſolverant. Hac ſpe fruſtrati, trajecim° in Aphricã Goletã uſq;. Indé cæteri duo redierant in Hiſpaniã. Fortè incidi*

*in hominem Daventriæ natum, qui & ipse Latinè loquebatur, atque in Numidia in urbe Tingit in regno Maroco suam sedem præcipuamque vxorem habebat, tres enim, ut Mahometes concedit, habebat ille; Mahometanus enim factus erat. Hic me vt secum proficiscerer hortabatur, suis quidem sumptibus, ea tamen lege ut me pro famulo & bajulo haberet. Impositа mihi sarcina, etsi durum mihi erat, cogitabam tamen Poëtæ dictum, quiscribit:*

Turpe puto juveni qui semper inhæret iisdem
Terrarum Spatiis, ut lapis, atque locis.
At varios hominum mores qui vidit & urbes,
Moribus ornatis in Patriam ille venit.

*Igitur per vrbem Tunetum, regnumque Tunetanum, & regnum Maroco, ad vrbem Tingit sumus profecti. Hujus vrbis meminit Procopius in Vandalorum historia; eam scilicet temporibus Ioſuæ à populis,*

pulis, qui metu Iosuæ fugerant, ædificatam fuisse, id quod marmoreæ columnæ duæ ibidem cum litteris Phœniciis testari dicit. Atque scio Antimachiavellum id negare: sed ego memini unam dilapsam me columnam, lapidesque mihi incognitis litteris notatos vidisse: verùm non legeram tunc Procopium, nihil igitur inquisivi, magis tamen crediderim Procopio, qui ab iisdem populis Carthaginem quoque fuisse conditam affirmat; sed fides apud illum esto. In illa mea peregrinatione quinque ferè consumpti sunt anni, semper meos de Islandia commentarios custodiens, postea ad intermissa studia redij. Vocatus deinde in aulam Schovveburgicam, cum Comite Ottone Viennam Austriæ ad Cæsaris aulam sum profectus: neque licuit tunc quæ in Islandia congesseram, propter creberrimas

pro-

profectiones in concinnum ordinem redigere. Deinde a Turckx sesio, Archiepiscopo Colonienſi, Bonnam missus, anno Christi LXXXII supra milleſimum quingenteſimũ, nactus occaſionem, propter editionẽ Iſlandiæ Coloniam iturus, incidi in latrones, qui me non solùm pecunia, & ſarcina, ſed & veſtibus ſpoliarunt, nudumque reliquerunt, & viginti tribus vulneribus confectum, uni me ſepeliendi negotium dederunt, ex cujus manibus mirabiliter evaſi, adhuc vivo. Itaque quicquid de Iſlandia conſcripſeram perijt, nullaque mihi recuperandi unquã relicta erat ſpes. Cùm verò anno LXXXVIII Bonnam, eo tempore quando Schenckius civitatem illam occupaſſet, rediiſſem, inventum fuit hoc meum de Iſlandia Scriptum ab equite mihi noto, in ædibus ex quibus habitatores profugerant. Cumque

que & nomen meum præscriptum, meamque novisset manum, mihi reddidit. Itaque hactenus apud me delituit. Jam verò de consilio bonorum virorum Typographo, divulgandi gratia, excudendum dedi. Etsi verò meæ mihi tenuitatis sim conscius, qui tam eleganti sermone quàm multi delicatuli cupiunt non sum usus, spero tamen & bonos & doctos facile mihi hac in re veniam daturos, quippe qui non tam elegantiæ, quã veritati in hoc Scripto studuerim: nam nihil, aut certè parùm, ex auditu, sed quæ vidi & expertus sum scribo. Verùm permulti hodiè reperiuntur qui nihil nisi quod ipsi & viderunt, & experti sunt, denique quotidianum est, pro vero judicant, imò illis non visa, incredibilia putant. Sed cùm res externas & veras, quæ etiam ratione nituntur narramus, admirar

*mirari Dei conditoris & opificis, sapientiã, potentiã, & bonitatẽ incipimus, unde laus & gratiarum actio proficiscitur, quæ tollitur desinitq; si admiratio cessat, omniaque incognita tibi pro falsis habeas. Magna præterea scribẽtibus fit injuria, qui magnis laboribus res minimè falsas non propter suum, sed posteritatis commodum memoriæ prodiderunt, cum a malevolis, Zoilis, & amusis egregiè mendacij, turpiter tamen, insimulantur, ut fit Herodoto, Tucididi, Xenophonti aliisque qui tamẽ diligenter consideraverant, quod non eadem vivendi ratio sit in omnibus regionibus, atq; quod natura non omnibus in locis & fructus & animalia producat, quemadmodum ij, qui bodie ad nos ex India renavigant, multa quidem omni admiratione digna, imò nobis ferè incredibilia tamen vera adferunt.*

*Sic*

*Sic quoque ex alijs locis nobis incognita, nec antea visa & audita perferri facile sunt credituri, atque ut sint sinceri communique sensu præditi nõ ignavia judicabunt. Quãobrẽ, Lector humanissime, hoc meum Scriptum animo æquo, & cum judicio lege. Zoilos moneo, ut ipsi eosdem labores, ærumnas, imò miserias, quæ peregrinantibus accidere solent, experiantur, priusquam aliis detractare incipiant.*

# In descriptionem THVLES

## Doctissimi Viri

### DITHMARI BLEFKENII.

EST aliquid mutare solum, Patriâque relictâ,
Veliferâ rapidum scindere puppe fretum.
Est aliquid totũ mundi lustrare theatrum,
Quæque suo retinet plurima monstra sinu.
Ast major virtus, majori digna trophæo,
Pingere felici quæ tibi visa manu.
Eminet hos inter, tanquam lectissimus, omnes
Blefkenius; Veniã det mihi livor iners:
Non Populos referam varios, non mœnia, montes,
Æquora,

Æquora, non ſylvas, flumina curva, ſpecus;
Queîs tu, ſed duro quondam, Dithmare, labore,
Famã, luſtrandis, ingeniumque paras.
Inſula ſufficiat nobis Iſlandia, ſævo
Arrodit fluctu quam Glaciale fretum.
Circius hîc regnat rigidus, quem carcere opaco
Vix ſtrictum vinclis Aeolus ipſe tenet.
Hîc furit ignitis eructans Hæcla caminis
Flammas; hîc celebris fontibus, ecce, locus.
Fœlix Dithmaro, fœlix Iſlandia! vives
Donec erit Phœbus, Lunaque donec erit.
Heſperiâ fœlix Thuli, Dithmare! carebis
Interitu, Thules littora donec erunt.

*G. Sonneveldius Verianus.*

# In eandem.

*Olim Trinacriam regnum natale Cyclopum*
*Facundo celebrem reddidit ore Maro.*
*En modò Dithmarus simili conamine nixus*
*Ignivomam Thulen ornat honore novo.*
*Trinacriis placuit rursus laudare Maronẽ,*
*Dithmarum Thule concelebrare studet.*
*A Phœbi radijs aversa hæc barbara Thule*
*Dithmari studijs clarior esse cupit.*

M. Georgius Curio.

DITH-

DITHMARI BLEFKENII

# ISLANDIA.

## QVANDO ISLANDIA PRIMVM COGNITA.

ANNO sexagesimo tertio supra millesimum quingentesimum binæ Hamburgo naves onerariæ in Islandiam navigare decreverant; Vectores, antiqua consuetudine verbi Divini ministrum sibi adjungere volentes, Ecclesiæ Hamburgensis ministris munus hoc committunt, orantque ut illis de ministro dispicere velint. Erat tunc Ecclesiæ Hamburgensis Superintendens Doctor Paulus ab Eitzen. Cum verò ego Hamburgi supellectilem librariam Rostochio expectans substitis-

sem, familiaritatem cum Paulo & cæteris Eccleſiarum miniſtris contraxi: ad me igitur delata eſt provincia, quã eo libentiùs, quod ſitiens eram res novas & varias regiones cognoſcendi, & illorum hortationibus parens, ſuſcepi. Conſcenſa igitur navi x Aprilis ſubnavigavimus Angliam & Scotiam, præterlegentes Orcades inſulas numero x v, quarum plærǽque incultæ propter ſterilitatem jacent, Feroyve & Hitlandia ſolæ inhabitantur. Hic altiſſimam rupem vidimus, quæ in ſummitate cucullati monachi caput repræſentat, ubi etiam contra omnes ventos tutus eſt receptus, multoſque hic monachus ex præſenti liberat periculo. Iunij verò x i v Iſlandiam conſpeximus, quæ a longe apparet, ut ſi nubes hyberno tempore eſſent. Poſtero die portum Haffnefordt, qui Meridiem ſpectat, terramque attigimus.

Iſlandia terra aſpera, montoſa, & nivoſa eſt, quæ duplo major Sicilia eſſe putatur, centum miliaria in longitudine habere cre-

re creditur, quod & Olaus Magnus lib. 11 teſtatur. a frigoribus, quæ ibidē acutiſſima ſunt, & perpetua glacie nomē habet: continuis enim octo menſibus glacie infeſtatur: calore tamen & igne intraneo multis in locis ardet. Hunc calorem in terræ viſceribus auget antiperiſtaſis frigoris, majoris anni parte (paucis menſibus æſtivis exceptis) durantis, quod poros in terræ ſuperficie conſtringit & liberam expirationem prohibet. Habetque hæc Inſula latitudinem ab Æquatore tantam, ut Circulus Arcticus mediam ſecet, hoc eſt gradus LXV cum ſemiſſe. Hujus Inſulæ extremitati Aquilonari objectæ ſunt inſulę quæ Ebudæ vocantur. An verò ex iſtis ſit ea, quæ Ptolemæo, Veteribuſque Thule, an potius Iſlandia ingens illa inſula, adfirmare neque prorſus negare auſim, eò quòd non deprehendatur inſula quò Ptolemæus Thulen ſtatuit. Nunc Recentiores ſtatuunt longè aliam longitudinem circa Scotiam vicinaſque inſulas quàm Ptolemęus credidit. Hujus gentis originē

paulo altius repetam, sequutus fidem Annalium Islandicorum. Annò Christi DCCCC, tempore Alebrandi Episcopi Bremensis, Nobiles aliquot ex Orientali Frisia, & ex agro Bremensi; versùs Septentrionem novas inquirere regiones volentes, ex Visurgo classe solverunt, prætervigantes Orcades, Insulam hanc, habitabilem quidem sed nivosam, invenerunt in ultimis ferè Europæ finibus. Cui propter frigus & rigorem Islandiæ nomen derunt. Cumque ulterius ad Septentrionem navigassent, circiter CC miliaribus aliam Insulam invenerunt, quam per antiphrasin Gronlandiam nominarunt. Longiùs versùs Septentrionem navigare conantes per mare Glaciale, sive Concretum, diu glacie prohibiti, tandem magnis laboribus ex glacie eluctati, in vortigines maris (quarū etiam meminit Olaus Magnus lib. 11.) & tenebras densissimas inciderunt, unde maris æstum singulis diebus provenire multi rei nauticæ periti adfirmant. In his tenebris & vortiginibus ista classis,

classis, una navi excepta, perijt. Qui fuerant servati, post diuturnos labores & pericula, per mare Tartaricum navigantes, in calidissimam venerunt regionem. Sinum maris amplissimum ingressi, in vicinam terram descenderunt. Cumque incolæ præ nimio calore & Solis ardore in locis absconditis essent, illi aurum, & alias pretiosas res, quas nemo obseruabat, hinc & inde positas vident: Cumque quantum libuisset asportarent, atque ad navem properarent, cũ canibus inusitatæ magnitudinis illos insequi vident, unus qui impeditus & prædâ onustus erat, effugere non potuit, a canibus frustulatim discerptus. Cæteri, post longam navigationem has vortigines vitantes, in Moscoviam appulerunt, indé per mare Balthicum Bremam reversi Alebrando Episcopo cũ parte prædæ hæc retulerunt.

Ad hoc ferè tempus Normanni, exemplo Helvetiorum Iulij Cæsaris tempore, Norvvegia prodiisse censentur, qui & tunc Franciæ partem diu obtinuerunt, quæ e-

tiam nunc Normandia dicitur. Cumque res magnas terra mariq́ue contra Britannos gessissent, non solùm hostilibus incursionibus mare infestarunt, sed quoque Sarracenos, qui tunc in Italiam venerant, & in Calabria & Apulia suam sedem ponere cupiebant, expulerunt. Postea versùs Boream in Hitlandiam, Ferovve, & Islandiam colonias deduxerunt, quam viam a Bremensibus labore Nobiliũ ex Frisia (ut dictum est) didicerant. Testatur & ipsorum idioma illos scilicet ex Norvvegia venisse: nam idioma Islandicum cum veteribus Norvvegiæ incolis convenit. Nam in Norvvegiæ locis maritimis, præsertim ubi nobilis portus & civitas Bergen est, propter Germanorum & Danorum frequentiam & consuetudinem lingua mutata est.

DE

# DE ISLANDICORVM RELIGIONE.

ANno Christi MCCCXCVIII administrabat Regnum Danicũ VVoldemarus ejus nominis secundus, cui adjunctum erat Norvvegicum, cujus posteritas id tenuit usque ad Ericum Pomeraniæ Ducem, ac Christophorum Bavarum. Huic VVoldemaro parverunt & Normannorum coloniæ Arctoæ omnes, ut & nunc. Sub illo VVoldemaro Islandici primùm in Christiana Religione instituti sunt, cùm hucusque alienos Deos coluissent. Cumq; in illis tristissimis tenebris, & titulo Ecclesiæ, ceu fascino miserè dementati, in profundissimis superstitionis invo-lucris derenti omnes ferè Christiani populi essent, fieri non potuit, quin illi qui longissimè a consuetudine doctorum hominum remoti, & alioquin sub inclementi ac barbaro cælo habitantes, in turpissimam idololatriam relaberentur, cùm

aliâs(ut postea dicetur) Dæmones sibi servientes & familiares tanquàm domesticos habeant. Postquam verò Lutherus innotuit, Christianus Danorum Rex sibi puriorem doctrinam comparavit, atque in regno Danico, Norvvegico, & omnibus sibi subjectis Insulis Ecclesias repurgavit; missis in Islandiam ministris, qui Euangelij sementem ibi facerent. Typographum quoque ex Dania misit, qui pastoribus Latina nescientibus (ut tunc ferè omnes erant) Biblia, Locos communes Philippi Melanthonis, Vrbani Regij opera, aliaque lingua populari evulgaret. Adolescentes quoque idoneos ex Islandia evocavit, quos in Academia Haffniensi suis sumptibus aluit, & Ecclesijs & Scholis præesse voluit. Constituerat Rex VVoldemarus cùm primũ Christi doctrinam profiterentur in Islandia Episcopos binos, unum in Scalholden in Orientali plaga, alterum in Hollen ad Occidentalem Solem, quorum successores hodiè nihil præter umbram & nudum titulum habent,

bent, nam alios reditus quam butyrum & pisces non habent. Cùm verò illa, de qua dixi, à Rege Christiano Ecclesiarum in Islandia facta esset reformatio, alter Episcoporum in Scalholden, cum populo facta conspiratione, Euangelij doctrinam excutit, &, rebellione facta, Regium Præfectum interficiunt. Sequenti anno, qui fuit MDXXXV, Rex hominem Nobilem equestris ordinis Paulum Hitfelt, quem senem ego in Dania vidi, classe, militibus, & armis instructum in Insulam misit. Seditiosis ad internecionem interfectis, Euangelij doctrinæ emendationem renovat, atque in Daniã redit, relicto Nobili quodam, qui & Ecclesiæ & Insulæ præesset. Erat tunc in Islandia vir facile primus Tadde Bonde. Hic, postquam Regis exercitus discesserat, conspiratione facta, cum præcipuis, quos sua authoritate in suam sententiam pertraxerat, ad defectionem reversus, cæteroscque Insulanos ut sequerẽtur incitabat. Hi in loco qui V Valoe dicitur conveniunt, factaq; conjuratione de re-

de rebellione & abjiciendo Regis jugo, consila inter sese communicant, & habebat Tadde suas possessiones non uno in loco, & multos clientes, his de causis non posse illos facilè opprimi putabat. Episcopus qui ad Orientem habitabat, omnia ad Regium Præfectum quid ageretur referri curabat (nam Præfectus ad Occasum ejus Insulæ aberat) oderatque Episcopus Tadden a multo jam tempore. nam in illa prima rebellione, quasi conscium & authorem rebellionis ad Præfectum illum falsò detulerat. Hæc sola calumnia summam & extremam illi calamitatem attulit. Præfectus certior factus quid ageretur, per idoneos homines, aliquot conscios factionis, ut in officio maneant, propositis præmiis & pœnis hortatur. Tunc plerique, ubi periculi magnitudinem cernerent, illo relicto, supplices ad Præfectum veniunt, veniamque precantur, & impetrant. Igitur Tadde judicatur hostis, & Regis & Patriæ, itaque jure jurando, & fide data, promittunt illum persecuturum. Tunc ille

metu

metu periculi, cum paucis, quos ex domesticis coegerat, ad Hekelveldij radices sese continebat, sed circumventi, omnes sunt trucidati, capto illo. Qui illum ceperant, ad Episcopum, ut illum custodię mandaret, adducunt, verùm is eum recipere recusabat. Itaque ad alium quendam, ex ijs qui Iudicio præsunt, illum perrahunt, neque is, veritus populi odium, excipere voluit. Ibi tunc Islandicus quidam, Ionas nomine, vir animosus, scio [inquit] cui illum, qui diligenter sit servaturus, credam, statimque hominem obtruncavit, & terrę mandavit. Et sic seditio sedata fuit. Atque in hunc diem ab illo tempore inter barbaros homines verbum Dei juxta Augustanæ confessionis ritum docetur.

## DE ISLANDICORVM VITA, AC MORIBVS.

IN tota Insula eorum hominum, qui in aliquo sunt numero atque honore, genera sunt tria; plebs enim ob penuriam navium,

navium, quibus piſcantur, ſeſe in ſervitutem dicant divitioribus. De his tribus generibus primum eſt eorum, quos Lochmaders vocant, id eſt Iuſtitiæ viros, nam Loch illorum lingua Ius ſonat: Hi Iuſtitiam administrant, ſuntque illorum plures, duodecim tamen ſingulis annis præſunt Iuſtitiæ. Horum decretis judicioque omnes parent. Alterum genus eſt eorum, qui Bonden dicuntur: Ij loco Nobilium habentur, atque eorum ut quiſque eſt navium & pecoris ampliſſimus, ita plurimos piſcatores, & clientes habet. Hanc unam potentiam noverunt. Tertium genus eſt Epiſcoporum, & verbi Divini miniſtrorum, quorum multi paſſim per totam Inſulam reperiuntur. Hi neque tributa cum reliquis pendent, omnium que rerum immunitatem habent.

Sunt plærique viri Iſlandici valdè ſuperbi & elati, præſertim propter corporis robur quod habent. Vidi Iſlandicum, qui tonnam Hamburgenſem cereviſiæ plenam

nam tam facilè ori suo admoveret, bibens ex illa, ac si unicam habuisset mensuram.

Vterque sexus in Islandia eundem habitum habet, ita ut ex vestibus an vir an fœmina sit haud facilè dignoscas. Lino carent, nisi a nostris sit importatum. Estque ibi apud fœmineum sexum mira formarum felicitas, sed cultus deest.

Natio omnis Islandicorum admodum dedita est superstitionibus, spiritusque familiariter ipsis servientes habent. Ii enim in piscatione tantùm sunt fœlices, qui noctu a Dæmone ad piscationem excitantur. Quamvis verò Euangelij ministri in dehortando ab ista impietate omnem diligentiam adhibent, tam altè tamẽ hæc impietas in mentibus illorum hæret, & radices egit, itaque sunt à Sathana fascinati, ut nullam sanam doctrinã & dehortationẽ admittant. Imó Diaboli opera, oblato pretio, ventũ secundum pollicentur, & præstant, quod mihi [ut postea dicetur] comper-

compertum est. Simile Olaus Magnus de Finlandiis scribit lib. 111. Naves quoque cantando, etiam secundo vento, immobiles retinent feré. Et profectó mirum est, quod Sathan cum illis ita ludat. Remediũ enim illis in retentione navium monstravit, excrementa scilicet puellæ virginis: si proram & certos asseres navis hoc unguẽto illinant, hoc fœtore spiritum fugari & abigi docuit.

In reliquis vitæ moribus sic se habent. Parentes liberos masculos statim à pueritia literas ejusque Insulæ jus docent, ita ut sanè perpauci per totam reperiantur Insulam virilis sexus quin literas sciãt, & plæræque fæminæ nostris utuntur literis, alios quoque characteres, quibus integra illorum quædam verba exprimunt, habent, quæ verba nostris literis difficulter scribi possunt. Duritiei & piscationi a pueris student, nam vita omnis in piscatione consistit. Agriculturam non exercent, quippe quod agros nullos habeant, majorq; pars victus eorum in piscibus, butyro insulso, lacte,

lacte, & caseo consistit. Pisces lapide contusos loco panis habent. Potus illorum est aqua aut serum. Ita multos in annos absque medicina aut medico vivunt. Multi annos CL attingunt. Ac vidi senem qui CC se tunc vixisse annos dicebat. Imò Olaus Magnus lib. XX Islandicos CCC annos vivere scribit. Maxima Islandicorum pars panem non vidit, nedum gustavit. Si quando à nostris molita cibaria, sive far illis venditur, lacte hoc commiscent, atq; in longum tempus ad delitias Nobiliū reponunt, Drabbel hoc condimentum vocant. Habent Germani, qui in Islandia negotiantur, locum in portu Haffnefordt natura munitum, ubi sub tentorijs suas merces venum exponunt, calceos scilicet, vestes, specula, cultellos, & id genus mercium nullius ferè pretij. Islandici habent oleum ex piscium visceribus liquefactum, nostris alutariis ac sutoribus notum: habent pisces, sulphur, exuvias vulpium candidas, butyrū, aliaque. Hæc omnia nostris mercibus commutant, neque prius rata

est mutatio, nisi prius nostro cibo, & vino, aut cerevisia probè sint distenti, unà cum uxoribus, liberis, quos quotquot habent adducunt. Advenientes in portum filias nubiles secum habent, hæ, postquam a nostris exploraverint an domi uxores habeant, si non habent, pro pane, aut biscocto, aliave levissima re noctem promittunt. Interdum parentes mensem unum, aut quamdiu manserint, concedunt filias, vel gratis. Ex eo concubitu si facta fuerit gravida, parentes majori quàm antea filiam complectuntur amore, natamque prolem annos aliquot educunt, donec aut pater revertatur, aut futuro genero in dotem addunt cum filia, qui minimè quòd e Germano sanguine natum est, contemnit. Si quæ virgo cum viro Germano habuerit consuetudinem, in honore apud illos est, propterea que à multis petitur procis: ac fuit antè hoc tempus cùm stupra, quæ quidem extra sanguinem & propinquitatem fiebant, nullam haberent infamiam: & quamvis modò concionatores

recla

reclament, & severè in delinquentes animadvertatur, ægrè tamen vix abstinent. Quam longè verò hæc natio ab illorum moribus abest, qui summam dotem in virginitate sitam esse ducunt? ut Petrus Bembus in sua Veneta historia lib. VI testatur, ubi ita scribit: Portugaliæ Regis nautę mare Rubrum ingressi, complures nigrorum item bonorum hominum ac bello fortiũ civitates adierunt, qui natis statim fœminis naturã consuunt, quoad urinæ exitus non impediatur, easque, cùm adoleverint, sic consutas atque coalitas in matrimonium collocant, ut sponsi prima cura sit sic conglutinatas puellæ oras ferro interscindere. Tanto in honore apud barbaros est non ambigua in ducendis uxoribus virginitas. Hæc ille. Vinum & cerevisiam à nostris emptam non reponunt, sed domatim epotant, per vices alij apud alios, idque gratis. Inter potandum heroica facta suorum decantant, non ex certa aliqua compositione, aut melodia, sed prout cuique in buccam venit. Neque cuiquam

licet vesicæ exonerandæ gratia à mensa surgere, verùm in hanc rem filiafamilias, aliave puella aut mulier semper ad mensam stat, intenta si quis innuerit, innuenti matulam sub mensa suis manibus ministrat; cæteri interim more suũ grunniunt, ne quis strepitus audiatur: effusa urina, pelvi m peluit, rursusque suum officium volenti offert. atque incivilis habetur qui hunc morem detestatur. Advenientes osculo excipiunt, seque invicẽ conspiciunt & contemplantur, si fortè pediculos, qui illos propter lini inopiã maximè infestãt, repentes in vestibus videant, si viderint alter alteri tollit, & quoties unum sustulerit toties aperto capite alteri gratias agit, atque hoc invicem agunt quoad unum viderint. Noctu paterfamilias cum tota familia, vxore, & liberis in uno cœnaculo cubant, laneo panno tecti, qui ab illis conficitur. Atque ejusmodi pannos sine stramine aut fœno supposito substernunt. Omnes urinam in unam matulam nocte effundunt, qua manefaciem, os, dentes, & ma-

& manus lavant: ejus rei multas afferunt causas, hoc scilicet formam elegantem facere, alere hoc vires, nervosque in manibus confirmare, & dentes à putredine servare dicunt. Si pecora in fluctibus aut sub nive (quod sæpissimè usuvenire solet) perierint, à Deo mactata esse dicunt, & in delitijs habentur: & factum est anno LXIIII in loco qui dicitur Ackermisse ut mense Ianuario vaccæ aliquot in tenebris aberrarent, tantaque erat caligo, atque nivis profunditas, ut reperiri non possent, mense Aprili primùm inventæ sunt intactæ sineque fætore, atque in vicinos distributæ, pars aliqua ad Præfectum, cum quo tunc ego vivebam, delata, quam aspernare fas non erat, ille tamen pauperibus dari jussit. Tempore hyberno antè & post Solstitium, cùm Sol descendit, atque in Sagittario, Capricorno, & Aquario est, ab illis recedit, neque supra Horizontem ascendit, donec Pisces attigerit, igitur nullam lucem habent nisi a Luna & stellis. Vicissim circa Solstitium æstivum, cùm Sol

ad Geminos, Cancrum, ac Leonem ascendit, numquam infra Horizontem descendit, igitur eo tempore noctem non habent. Hyberno vero tempore ad multos dies lecto se continent, atque ludos scaccorum, quorum inventum Xerxi philosopho debetur, exercent: interim famuli cibum illis præparatum ad lectum deferunt. Ex oleo piscium lampades continue alunt, alij ex sævo candelas urunt. Mense Februario, cùm primùm Sol supra Horizontem ascendit, paulatim dies longiores fiunt, tunc piscari incipiunt, tanta quidem copia, ut vix sit credibile; pisces enim, qui menses continuos tres in tenebris natarunt, simul atque stanneum piscē ferro conjunctū vident, catervatim accurrunt, ut non solùm per fauces sed ubicumque attigerit ferrum trahantur. Captos exossant, viscera recondunt, & adipem sive oleum ex ijs conficiunt. Pisces sub dio cumulant, tantaque ibi est aëris puritas, ut sine sale, solùm vento Soleq; durentur, fœlicius quidem quàm si sale condirentur. Et

si pecora

si pecora mactaverint, carnes sine sale solo vento duratas absque fætore & putredine servant.

## DE MIRABILIBVS STAGNIS ET FONTIBVS IN ISLANDIA.

DIversis in locis per totam ferè Insulam sunt thermæ, & calidissimi fontes, qui etiam magna copia effluunt. Hæc aqua, ubi frigescere incipit, sulphureum quiddam in superficie habet. In istis calidissimis aquis, quibus digitum sine periculo inserere non potui, mergi rubei à longe quidem conspiciuntur, si propiùs accedas evanescunt, si rursus abieris emergunt, ita per totos dies (si cui lubido est) cum hominibus ludunt. An revera mergi sint alijs judicandum relinquo. Ad Occasum ejus Insulæ ingens est lacus fumosus, & frigidus valdè, qui omnia quæ quidē immerguntur in lapides convertit, idq; paucis diebus, &, quod summa

admiratione dignum est, si lignum rectà in fundum posueris, ima pars, quæ in terram figitur, ferri speciem & duritiem post biduũ habet, quæ in aqua fuit, lapidis duritiem & speciem habet, suprema pars, quæ supra aquam mansit, pristinam formam retinet: atque hujus rei veritatem bis sum expertus, sed cùm imam partem, quæ ferrum repræsentabat, igni ut liquesceret admovissem, ut carbo arsit. Sunt in loco maritimo qui Turlockshaven dicitur fontes duo diversissimę qualitatis, alter frigidus, alter calidus; hi fontes per canales in unum locũ ducuntur, atque ad balneum temperati saluberrimum balneum efficiunt. Haud longè ab his fontibus alius quidam fons est qui Cerealem liquorem ebullit, qui Gallicum morbum, qui illis familiaris est, fæliciter medetur. Non procul à portu Hanefordt scissura in rupe est instar fontis immensæ profunditatis, si inspexeris aquam videre non potes, verùm si lapidem injeceris, post dimidiam horam audies illum decidentem, quasi in vasa

vasa ænea decideret, statimque aqua exsurgit, & repletur usque ad summa labra putei, estque aqua limpidissima, quam tamen nemo neque attingere, neque gustare audet, neque effluit, sed post tantùm temporis quantùm lapis est immissus subsidit. Alius in media Insula lacus est qui pestiferum fumum exhalat, ut etiam aves supervolantes suo veneno interficiat.

## DE MONTIBVS MIRABILIBVS IN ISLANDIA

SVnt in Islandia tres montes valdè mirabiles, unus mons Crucis, alter Snevelsiockel dicitur. Hi duo nubes altitudine penetrant, quorum capita sive summitates nemo unquam vidit, neque unquam glacie & nive vacui visi sunt; in his quotidiè fulgura, & tonitrua horrenda audiuntur, cùm tamen in propinquis convallibus aer æstivo tempore sit sudus & serenus. Tertius mons ad Septentrionem Insulæ est, neque adeò excelsus, annos verò

complures arsit; quo igne, quave materia ignoratur: cùm verò per totam Insulam sulphur effodiatur, videtur sulphuream materiã aliquando incensam esse. Mons hic haud procul à mari est, mareque ex parte illum alluit, Hecla dicitur, interdum flammã, aliquando ignitam aquam, post nigrum cinerem, & pumices, tanta quidem copia ejicit, ut Solem obscuret. nemo quoque in propinquo ad miliaria v'r habitare potest. neque pascua ulla circum sunt. Aliquando homines audaces, & vitam nihili facientes, lapides per cavernas injiciunt; nam interdum mira est in monte tranquillitas, præsertim ubi Zephyrus spirat; immissos lapides statim horribili fragore ac sonitu rejicit: damnatorum animas hîc torqueri vulgus credit: varia & horrenda in hoc monte & circum spectra observari certum est; nam si alicubi sit prælium commissum, Islandici, præsertim ij qui in mari vicino Heclæ navigant & piscantur, prælij commissi diem sciunt, etiamsi ignorent ubi sit factum: vident-

dent enim [ ut ipsi referunt ] Cacodæmones exeuntes & reverrentes, umbrasque adducentes. Et circumfertur historia talis in Islandia: Piscator juxta Heclam navigans aliam navem obviam habuit, uterque secundo utebatur vento, cùmque more nautarum ecquis esset, & unde, quæsitus, Bremensem Episcopum se in navi habere respondit, quem ad Heclam deducere vellet: & compertum est eo ipso die Episcopum è vita discessisse. Quod tamen ego pro vero ponere nolim. Si qui fluctibus aut alioqui perierint aut mortui fuerint, interdum suis relictis amicis & notis tristes apparent, quæsiti quo & undè, ad Heclam sub inclmenti prædagogo Dæmone deduci se respondent, evanescuntque. Sicq; a Sathana fascinati sunt, ut animas demortuorum esse credant.

Sed quia Infernum in hoc monte esse, nemo sanæ mentis facile crederet, quæri tamen posset, unde mons istam materiam habeat, qua tot annorum

flammas

flammas, tot cineres, tantamque pumicum copiam producat? videmus enim igne solidissima quæque omniaque consumi: eamque ob causam aliqui credunt fore ut istæ aliquando flammæ extinguantur, nam deficiente causa effectus ullos sequi posse negant. Sed hic quid ego sentiã liberè dicam, salvo tamen aliorum judicio. Constat ex Meteoris aqueis, quòd ex vaporibus in terræ cavitatibus collectis continua sit aquæ generatio, quæ per fontes emanat; perpetuò autem durantibus causis efficientibus & materialibus perpetuò etiam effectus durat: sic quoque in visceribus terræ esse loca quædam, quæ sua natura siccam & calidam exhalationem attrahant, hancque in flammas, cineres, & pumices resoluere, quod in isto monte propter sulphuream materiam, quæ in Islandia per totam terram invenitur, facilè fieri potest: & quemad modum fontes tempore hyberno plus aquæ quàm æstivo scaturiunt, imò aliqui æstate exsiccantur, propter deficientem materiam; sic

cum

cum hoc monte: nam interdum deficiente materia neque flammas, neque fumum habet, omniaque tranquilla sunt, unde apparet materiam & efficientem causam deficere. Vt ut veró sit, mihi compertum est neminem sine periculo, & horrore, ad montis radices accedere posse, ut postea explicabitur.

Eodem anno quo in Islandia essem, die XXIX Novembris, circa medium noctis in mari juxta Heclam flamma apparuit quæ totā Insulam illustrabat, ut omnes attoniti miraremur, atque exitum anxiè expectaremus: seniores & hujus rei periti ex Hecla hoc lumē venire dicebant: post horam tota Insula contremuit, quasi suis sedibus moveretur: terræmotum secutus est horribilis fragor, ut si omnia bellica tormenta exploderentur, nihil ad hunc terrorem esset. Non potest cogitatione nedum verbis assequi, quàm horribile fuerit. Totam mundi fabricā corruituram, postremumque adesse diem credidimus: at compertum est postmodo mare ad duo miliaria

retrò

retrò ceſſiſſe in illo loco, atque exſiccatum eſſe. Sub initium Iulij, tempore anniverſario, glacies magna copia noctu ex improviſo Inſulam circum Heclam alluit, ac vagatur rumor per totam Inſulam, imò creditur, damnatas animas in hac glacie torqueri alternis vicibus in flamma in monte, ac deinde in glacie. Hæc glacies menſes tres continuos ſolùm circa Heclam natat. Hujus glaciei ſi partem aliquam mari exemeris, linteoque involveris, atque in ciſta repoſueris, tam diu illeſa manet quoad illa in mari natat; ſi verò in mari glacies evanuerit, quod repentè in una nocte fieri ſolet, hæc nuſquam apparet, neque ullum humiditatis ſignum in linteo relinquit. quod Sathanæ haud difficile eſt glaciem ſine humiditate tollere, ut illorum incredulitatem augeat. Meminit hujus glaciei Olaus Magnus lib. 11. Sed quia ego omnia diligenter perquirere ſtatueram, non ſine horrore ad hanc glaciem navigavi, & animadverti vi ventorum hanc glaciem ad ſcopulos torqueri, &

ita

ita lugubrius quiddã ſonare à longe, quaſi exaudirentur ibi miſerandi ejulatus. hinc Iſlandici damnatorum animas in iſta glacie torqueri putant.

## DE ISLANDICORVM DIVITIIS.

Iſlandiam terram aſperam & nivoſam dixi, eſtque præterea ſcopulis atque lapidibus referta; ac ita quidem, ut nullus in tota Inſula ſit ager: ne hortulos quidem, in quibus aut olera aut legumina habere poſſent, habent: frumenti genus nullum agnoſcunt, non poma, pira, nõ ceraſa, neque ullum fructum arborum norunt. Et, quod ferè incredibile eſt, nec pane, nec ſale utuntur, nihilominus benè habiti ſunt & robuſti. Nulla in tota Inſula eſt urbs, rarò duas aut tres habitationes contiguas habent. In locis maritimis ob piſcationem, & ſubterraneis propter validiſſimos ventos ſuos nidulos habent. Nullus apud illos pecuniæ amor, merces enim mercibus commutantur. Naſcitur ad Meridiem & fere per totam Inſulam ſulphur, quod

quod magna copia eruitur; hanc materiam purgatam exiguo pretio vendunt. Auri argentive fodinas, neque ullas metallicas habent. Ferro quidem utuntur, sed importato. Rarò invenies virum, qui in pera non habet clavos ferreos quibus ferreæ equorum soleæ alligantur. Ædificia omnia sunt subterranea, nam materiam ad ædificandum non habent. Nulla arbor in tota est Insula, excepta betula, atque hæc in uno loco, quæ etiam longitudine hominis staturam non excedit, idque propter ventorum vehementiam, quòd altiùs crescere non possit. Betula hæc post Solstitium æstivum primùm vernat, folia suavissimi sunt odoris, tantęque fragrantię ut a Germanis in tentorijs & epulis pro singulari delectamento ponantur. Interdum tamen magna copia abietum, ex Tartaria aut aliunde, vi undarum & glaciei abrepta, in Islandiam appulit. Harum præcipuus in ædificandis cubilibus subterraneis usus est, extra terram vix habitationem, propter validissimos ventos, qui interdum &

equos

equos & sessores prosternunt invenies. Butyri magnam copiam habent, propter graminis pinguedinē: tam pingue enim est Islandicum gramen, vt boves post certū tempus à pascuis sint arcendi, ne rumpantur. Tam grati itidem odoris, ut singulari studio à nostris hominibus in cistulas ad vestes reponatur. Butyrum plærique propter vasorū inopiam in angulos ædiū, uti nos calcem aut aliam materiam, seponūt, idq; sine sale. Domestica animalia habent, vaccas; sed multæ sunt mutilæ cornibus. Equi gradarij ferè omnes, oneribusq; ferendis aptissimi. Habent oves prægrandes. Non suem, non gallinam, propter frumenti inopiam, alunt. Si quando illos pabulum, aut fœnum hyeme defecit, pecora piscibus alunt. Canes hirsutos sine caudis & auribus natos animi causa habēt, quos carè vendunt, magnique faciunt, cū tamē liberos suos cuivis petenti vel gratis offerant. Habet præterea hęc Insula vulpes albas, & ejusdem coloris ingentes ursos. Aves habent nullas, pręter aquaticas, quarum

rum diversæ ſpecies, & genera ibi reperiuntur nobis incognita. Corvi interdum ad albedinem mutati; falcones quoque egregij, & inter hos albi, qui magnis ſumptibus ab Hiſpanis & Luſitanis capti & conquiſiti, etiam magno numero abducuntur, quod cùm ego in Iſlandia eſſem magno meo commodo factum eſt. Habet quoque Iſlandia albas perdices. Fluvij amœniſſimi paſſim per totam Inſulam, qui incolis piſces magna copia miniſtrant, Salmones, Trutas & Sturos. Vnicus in tota inſula eſt pons ex oſſibus Balenæ conſtructus. Proficiſcentes ex una Inſulæ parte in aliam per continentem, nullam viam propter ſolitudinem habent, quam ſequi poſſunt: ſed quemadmodum nautæ in mari, ita hi opera magnetis ſua itinera perſequuntur. Immenſa eſt maris iuxta Iſlandiam profunditas. In iſtis voraginibus ſunt miræ magnitudinis Balænæ, multaque marina monſtra, quæ capi aut occidi ab hominibus non poſſunt, ſola glacies vi ventorum illa ad ſcopulos collidit, enecatque.

catque. Vidi talé monſtrū ejectum in littus mortuum, cujus lōgitudo xxx ulnarū, altitudò haſtam militarem prælongā ſuperabat. Mortua aut occiſa Bęlena, incolæ ex oſſibus ejus magna dexteritate ædificia & habitacula conſtruunt, item ſedilia, ſcamna, menſas, & cætera utenſilia fabricant, ita lævigantes ut ebori ſimile ſit. In his ædibus dormientes ſemper de naufragio ſomniare dicuntur. Etſi verò ingens & formidabilis ſit beſtia, magnumque habeat robur, tamen a ſuo capitali hoſte non adeo magno, qui Orca nominatur, ſæpè non oppugnatur ſolùm, ſed vincitur; habet hic piſcis navis inverſæ formam, atque in dorſo pinnas acutiſſimas & longas, quibus mollia ventris Balænæ vulnerat & occidit; adeoque timet hunc piſcem Balæna, ut illum fugiendo ſæpè ipſam littori illidat. Habet quoque mare Iſlandicum monſtrum cujus nomen incognitum eſt, Balænæ ſpeciem judicant, primo intuitu, cùm caput ex mari oſtendit,

homines ita perterret, ut ferè exanimati decidant. Caput quadratum habet oculos flammeos, circumcirca longis cornibus munitum, corpus nigrum & atris pennis obsitum est; si quando noctu conspicitur, oculi igniti sunt, ut totum caput quod è mari exerit illustret, horribiliùs nihil aut pingi, aut comminisci potest. Olaus Magnus hujus monstri meminit, lib. XX dicitque XII cubitos esse longum. Ejusmodi monstrum scapham piscatoriam mordicùs tunc temporis contriverat suis dentibus in qua tres fuerant piscatores, ita ut illi submergerentur, unus qui funiculum, quo hamum & pisces ducere solebat, manu prehensū retinuit, tabulæq; quæ in mari natabat, adhærebat; ita ille ex imo in asserem eluctatus servatur, atque enatavit, meque præsente Regio Præfecto hæc narravit, addens se Divinitùs servatum, ut liberis alioquin fame perituris victum quæreret, cùm cæteri duo, mariti quidē, sed sine liberis fuissent. Aliud quoque ibi monstrū frequens videtur & capitur, longum

gum x aut x i i ulnas , Hackal vocatur, totum eſt adeps ; mirabili modo capitur : haſtam prælongam habent, cui ferrum bicipiti cuſpide, quòd retrogredi nequit, affigunt, ligno annexus eſt funis mirę longitudinis; hanc haſtam monſtro, quod ad prædam, animadverſo in parvulis navigijs homine, adnatat, figunt; ſimulatque monſtrum ſe ſaucium, ac vulnus habere ſentit, ſtatim ſe in profundū abdit, atq; ibi effuſo ſanguine moritur, piſcatores deindè longis haſtæ alligatis funiculis ad terram ducunt. Habet præterea varia monſtra marina : canem, qui exerto capite e mari latrat, atque ſuos catulos in mari luſitantes rurſus in alvū recipit, donec adoleverint. Habet & equos, vaccas, & quid non? ac mirum! quomodo ludat artifex natura, in exprimenda omnium animalium terreſtrium, & volatilium forma, in mari. Neque mihi quiſquam perſuaſurus erat, vera hæc eſſe. etiamſi decem Ariſtoteles mihi affirmaſſēt, niſi meis oculis plæraque conſpexiſſem. Ne quis igitur protinùs clamet, fa-

buloſum eſſe, ſibi non compertum. Solebant Lubecenſes, Hamburgenſes, & Bremenſes frequentiùs magno ſuo commodo hanc Inſulam adire, ſuos ſervos in hybernis relinquere: jam verò cautum eſt authoritate Regia, ne quis Germanorum, vel negotiandi, vel linguæ diſcendæ gratia, ſuos ibi famulos per brumam relinquat; qua verò occaſione hoc factum ſit, ſic ſe habet. Erat anno Chriſti MDLXI in Iſlandia in hybernis civis Hamburgenſis Conradus Bloem, apud Epiſcopum in Scalholden ab alio, negotiandi cauſà & linguæ diſcendæ relictus: piſcatores Epiſcopi cornu Monocerotis integrũ, in glacie, ex Gronlandia (ut exiſtimatur) ubi etiamnum hodiè Monocerotes eſſe dicuntur, advectum inveniunt, & Domino ſuo deferunt, dentem Balænæ eſſe rati, neque aliter credidit Epiſcopus, qui Conrado petenti dono dedit; is paulò naſutior poſtea Antvverpiæ aliquot florenorum millibus vendidit. Hęc res cũ ad Regem Daniæ perveniſſet, cavit ne quis Germanus poſthac in Iſlan-

in Islãdia, vel quavis de causa hybernaret.

## DE ISLANDICORVM IVDICIO.

EST in media ferè Insula locus amœnissimus, verno tempore Paradisum esse diceres, ubi olim mons fuit excelsus, qui ut hodiè Hecla, intraneo igne arsit; quæ materia posteaquam consumpta fuit, planitiem effecit, scopuli tamen qui circùm montem fuerant erecti, adhuc stant, itaque iste locus natura ita munitus est, ut intrantibus singulis sit eundum. Hic locus duobus cataractis insignis est, ubi duo flumina ex altissimis rupibus e diversò sese præcipitant, cũ stupenda & horrẽda aquarũ ad scopulos collisione, hi fluvij in medio campo seconjungunt, & magna vortigine in terrã absorbuntur. Hîc quotannis ad xxix Iunij diem, incolæ, qui aliquam habẽt controversiam, conveniunt: nullo enim alio in loco jus dicitur aut tempore: postquã ingressi sunt, stationes ex Præfecti statellibus ponuntur, qui omnes ingredi

cupientes admittunt, exeundi facultas sine consensu, & authoritate Præfecti nulli datur: ubi eò ventum est, Præfectus Regis diploma, quo sui officij fidem facit publicè legendum exhibet; & de præclara Regis erga Insulanos voluntate, deque sua, præfatus, ut omnibus sine respectu personarum, jus communicent hortatur, ipse deindè decedit, atque in suo tentorio se continet. Audita sacra concione, viri duodecim, quos Lochmaders/ quasi lustitiæ viros, dicunt, humi considunt, singulis in manu liber est ejus Insulæ jus continens, populari lingua conscriptus; accusatione & responsione facta, in singulos locos secedunt, quisque suum librum diligenter evolvit, suum locum deindè repetens, sine scriba, sine replicatione, aut duplicatione & ejusmodi rabularum forensium præstigijs de sententia communicant, eamque pronuntiant. Si quę res deliberatione digna sit, ad Præfectum consultandi & honoris gratia defertur, cùm tamen nullam decernendi potestatem illi relinquant. Accusationes

cusationes plærasq́; sunt de furtis, & adulterijs, de finibus non ambigunt, de feudis, hereditarijs agris, aut pecunię aliqua summa, nullæ ibi sunt controversiæ. Duodecim illi viri, quibus unus supremus præest, apud illos in magno sunt honore. Hi de omnibus controversijs publicis constituunt, diligenterque inquirunt. Si quod eo anno sit admissum facinus, si cædes alicubi sit facta, si furtum, si adulterium commissum, si pecora furto abducta (quod sæpè fieri solet) tunc hi pœnam constituunt. Damnati capitis, securi feriuntur; cæteris, quibus pœna aliqua irrogari debet, stigmata inurunt, hæc pœna apud illos est gravissima: in fronte enim notantur: ita notati in numero sceletatorum habentur: alij virgis cæduntur: & vidi, cùm pater, & filius propter furtum (abigei enim erant) captivi detinerentur, quòd pater sit coactus filium virgis cædere ipse deindè securi est percussus.

# DE GRONLANDIA.

ISlandia natura est oblonga, ab Ortu habet Norvvegiam, a Meridie Orcades & Scotiam, ad Occidentem solem Gronlandiam, ad Septentrionem mare Hyperboricum, sive Concretum. Etsi Gronlandiã silentio decreveram prętierire, tamen cùm ipse terram attigerim, & pauca quædam conspexerim, addendum putavi. Erat in Islãdia in cœnobio quodam Helgafiel relictus monachus quidam cæcus (nam præfectus cœnobij reditus in usus Regios converterat) qui ibi miserè vivebat: hic erat oriundus ex Gronlandia, obscuro colore & amplo vultu. Hunc præfectus ad se perduci jussit, ut de Gronlandię statu certi aliquid cognosceret. Dicebat esse in Gronlandia cœnobium D. Thomæ, in quod a parentibus cùm esset adolescens, se detrusum esse, postea ab Episcopo Gronlandiæ exemptum, cum esset xxx annorum, ut unà cum illo in Norvvegiam, Nidrosiam usque

usque ad Archiepiscopum, cui & Islandiæ Episcopi subditi erant, navigaret, in reditu se ab Episcopo, cui Gronlandia erat patria, relictum in cœnobio, factum hoc ajebat anno Christi MDXLVI Hanc Insulam dicebat nominari Gronlandiam antiphrasticῶs, eò quod rarò aut nunquam vireſcat, tantumque ibi esse frigus per totum annum, Iunio, Iulio, & Augusto exceptis, ut etiam pellibus amicti, tectique calescere vix possint; habere domi rotunda ligna, quæ cùm pedibus continuè moverentur, illorum pedes calfacerent. Abundare ajebat, ut Islandia, piscibus, habere ursos, & vulpes candidi coloris, imò Pigmæos, & Monocerotes, neque dieſcere quin Sol Pisces percurriſſet. Monachus hic valdè nobis mirabilia narrabat: in cœnobio D. Thomæ, in quo ipse vixerat, esse fontem, qui ardentem & flammeam aquam ebulliat, hunc fontem per lapideos canales ad singulas monachorum cellas duci, easque calefacere, ut hypocausta

apud

apud nos faciunt. Imò omnia edulia apud hunc fontem & aquam igneam haud aliter posse coqui quàm si verus esset ignis. Addebat cœnobij muros ex pumicibus ex monte quodam non procul à cœnobio Heclæ simili esse factos: si enim has aquas ardentes pumicibus superfuderis, limosam materiam sequi, quam loco calcis, pro cemento habeant. Post colloquium Præfecti cum monacho, privatim accedo hominem, plura, & particularia quædam ab illo percunctaturus de Pigmeis, & alijs rebus; Latinam linguam tenuiter attigerat, me Latinè loquentem intelligebat verùm per interpretem respondebat. Pigmeos dicebat perfectissimam repræsentare formam humanam, esse pilosos usque ad digitorum ultimos articulos, mares ad genua usq; barbatos esse. Etsi verò hominis formam habeant, sensus tamē nihil illis inesse, non sermonem articulatum, sed sibilum quendam anserum more preferre; Abbatem suū in cœnobio duos, & marem & fœminam, aluisse, verùm non

diu

diu vixisse, brutaque animalia esse, inque perpetua caligine vivere. Quòd aliqui his cum gruibus esse bellum dicunt, hoc ignorabat. Rationem victus in Gronlandia, quæ sit in Islandia, ex piscibus scilicet, esse adfirmabat, verùm non ex pecore, quòd nulla pecora habeant, neque populosam esse terram. Statim ab Islandia incipit Oceanus Hyberboricus, aluitque Gronlandiam, & regionem Pigmeorum, quę hodiè Nova Zembla appellatur, habetque ibidem mare Glaciale sinum qui mare Album dicitur, suntque ibidem fauces, per quas navigatur (si liceat absque glacie) in Oceanū Schyticum Et habebat Prefectus Regiam navem ex Dania, quę in Islandia hyemaverat omnibus necessarijs instructam; cū verò ab monacho, de istis locis, faucibus & brevi in regnū Chynæ trajectu audijsset, hanc affectabat laudem, ut Regi suo per istas fauces & glaciem, ad Chynæ regnum per mare Tartaricum, quod ab alijs sæpe sed frustrà tentatum fuisset, aperiret.

Martij

Martij igitur ultimo die, anno ſupra milleſimum quingenteſimum LXIIII ad illa loca eam navē navigare juſſit, meque unà ultrò volentem; utque diligenter, ſitū locorum, & quicquid viſu & relatu dignum occurreret annotarem, injunxit. Eramus in navi homines ſexaginta quatuor tam Dani quam Iſlandici, & XX Aprilis die, ad promontorium quoddam Gronlandiæ appulimus, cumque nullum portum, cui nos tutò crederemus, inveniſſemus, ac immiſſo bolide maris profunditatem exploraremus, tanta erat ut in anchoris ſubſiſtere non poſſemus, tantaque erat copia glaciei, ut propiùs ad ſcopulos navigare, neque tutū, neque poſſibile eſſet; Vigintiquatuor igitur armati ſcapha magno cum labore & periculo, ad terram contendimus (inter quos & ego eram) exploraturi an portū invenire poſſemus, & quales haberet Gronlandia homines. Interim magna navis in mari & glacie ſūma malacia natabat, pars dimidia ad cuſtodiendam ſcaphā in littore manebat; altera pars (egoq; cum illis) ſpeculandi cauſa excurrimus:

qui in littore ad custodiendã schaphã erãt relicti, exspatiantes virunculũ exanimem promissa barba, cum navicula, & hamo adunco ex piscis osse & fune coriaceo inveniunt: naviculæ alligatæ erant vesicæ quatuor piscium, uti existimatur, ne submergeretur, quarũ tres flaccidæ detumuerant: hanc (quia nostris valdè erat dissimilis Regi Daniæ misit Præfectus. Olaus Magnus lib. 1 scribit esse petram in medio Islandię & Gronlandiæ Hutisock, quã nos præternavigavimus, ibiq; habere ex corio naves, quas se vidisse testatur, verũ talis non erat, sed Petrus Bembus lib. VII in historia Veneta describit navem, quæ huic similis erat, ubi ita scribit: Navis Gallica dum in Oceano non longè à Brittannia iter faceret, naviculam ex medijs obsciss is viminibus arborumq; libro solido concretis ædificatã cœpit, in qua homines erant septem, mediocri statura, colore subobscuro, lato ac patenti vultu, cicatriceque mira, ac violaceo signato; hi vestem habebant è piscium corio, maculis eam variantibus

tibus coronam e culmo pictam ſeptem quaſi auriculis intextam gerebant; carne veſcebantur cruda, ſanguinemque ut nos vinum, bibebant; eorum ſermo intelligi non poterat, ex ijs ſex mortem obierunt, unus adoleſcens in Aulercos, ubi Rex erat, vivus eſt perductus. Ex Gronlandia hanc navem cum his ſeptem hominibus in Oceanum Britannicum propulſam eſſe, non eſt abſimile vero: cùm deſcriptio naviculæ Bembi, cum illa in Gronlandiæ littore inventa conveniat. Nos interim hùc & illùc in terra nobis incognita, quę nive & glacie recta erat, oberravimus, ne hominis quidem veſtigia, neque habitationem ullam deprehendimus, neque aptum portum, ſed mare undique præruptis ſcopulis erat clauſum & communitum. Viſum tamen magnum & albū habuimus obviam, qui neque nos timebat neque noſtro clamore abigi poterat, verùm rectà ad nos, tanquam ad certam prædam, contendebat, cumque propiùs nos acceſſiſſet bis bombarda trajectus, ibi de-

demùm erectus, posterioribus pedibus tanquam homo stabat, donec tertiò trajiceretur, atque ita exanimatus concidit: Exuviæ Regi Daniæ missæ sunt. Convenerat inter nos antequam ex navi in terram descenderemus, si commodum inveniremus portum, aut alioqui nobis illorum auxilio opus foret, ut vexillum, quod in hunc usum nobiscū extuleramus, convelleremus, illi verò, si nos revocarēt, tormentis id significarent. Tempestate coorta interim navarchus tormentorum tonitru signum redeundi dat, noscque ad navem revocat: itaque omnes rursus magno cū labore post tres dies ad navem cum ursi exuvijs reversi; ad alterum igitur latus Insulæ ad Septentrionem, usque ad Pigmæorum regionem, aut Novam Zemblam navigavimus, ut per fauces maris Albi, in Oceanum Schyticum, sive Tartaricum veniremus, undè in regnum Chynæ, & Cathai trajectus esse dicitur; sed glacie prohibiti, fauces ejusdem maris transire non potuimus: itaque re infecta XVI

Iunij in Islandiam sumus reversi.

Antea dixi Islandicos ad XXIX Iunij diem in media ferè Insula quotannis ad Iudicium convenire, post verò nostrum reditum Præfectus eò contendebat, egoque unà cum illo. Ex proximis Heclæ accolis aliqui tunc ad judicium venerant, quos Præfectus semel atque iterùm ad prandium & cœnam invitabat. Hi mira inter cœnandum de Hecla monte alijsque referebant; ego illicò accensus cupiditate videndi & adeundi omnia. Quare commendavit me Præfectus hisce hominibus ut me eò deducerent, omniaque quæ ibi visu digna noscent, mihi commonstari jussit. Erat hic Præfectus Danus homo Nobilis, elēganter litteris excultus: huic viro certè nō parùm debeo, propter summā in me liberalitatem, quòd me ad varia Insulæ loca, ubi singulare aliquid videbatur, suis sumptibus vehi curaverit. Ego comitatus duobus Islandicis, & Dano quodam, qui commeatum & tentoriolum equo vehebat, totum quatriduum

con-

consumpsi, dum per loca aspera, montosa, & avia ad hunc montem contendimus. Ad aliquot miliaria circum Heclam omnia nigro cinere & pumicibus erant repleta. Monebant me Islandici, ne propiùs accederem, abducto & equo quem ipsi mihi concesserant: ego quia omnia diligenter investigare, & videre decreveram; Dano homine comitatus propiùs, quasi montem ascensurus, accessi, & quamvis primo aspectu horror nos invaserat, ab instituto tamen discedere nolui, & per ætatem periculum non intelligens, per cinerem & pumices solus, relicto Dano, ad Heclam contendebam; erat tunc mira ibidem tranquillitas, ut nec ignem, nec fumum quidem viderem. Ecce subitò in terræ visceribus magnus auditur fragor, hunc secutæ sunt flammæ cærulei coloris, quæ sulphureo suo & terrimo fætore me penè extinxerunt, vixque ad relictos comites & equos evasi. Ex subita illa consternatione in morbum incidi, & vehementem cogitationem cùm horrendæ istæ

flammæ ſemper mihi ob oculos verſarentur: ita quidem ut Iſlandici mei comites ad ipſorum habitationem me abducere cogerenter, apud quos integros menſes duos decubui: cùm interim Danus ad Præfectum & Hamburgenſes rediret, deque mea conditione illos certiores faceret. Ego inter barbaros æger & ignotus miſerè vivebam; biſcoctum habebant, quem lacte macerabam, & ita famem tunc tolerabam, interea dum valentior factus ad Præfectum redirem. Hamburgenſes, propter anni tempus, ne navigandi facultatem amitterent, jã de reditu meo deſperantes, ſolverãt (ſolvunt enim ante XXIIII Auguſti diem, ne pòſt glacie prohibiti exire nequeant) ſingulari tamen ſtudio Præfecto (ſi quando redirem) me commendaverant, relicto biſcocto, vino, & cereviſia. Habet Præfectus ſatis commodam habitationem pro more & modulo iſtius regionis ad Meridiem ejus Inſulæ, non longè a portu Haffnefordt, locus dicitur Beſtede. Hùc ad Præfectum ab Iſlandicis

adhuc

adhuc æger perductus sū, qui me propter communia studia libenter & honorificè excepit. Quamvis verò rebus omnibus & necessarijs eramus ampliter instructi, tamē in illis tenebris admodùm pertæsus eam vitam, magno desiderio futurum annum navesque ex Germania expectabam. Gliscebat tunc bellum inter Ericum Suetiæ, & Fredericum secundum, Daniæ Reges, quòd magnis animis post ad decennium gestū est. Dano erant confœderati Lubecenses, & belli consortes. Sic plæræque maritimæ civitates ad mare Balthicum bello hoc impeditæ aut implicitæ, navigationem in Islandiam hoc anno intermiserunt, itaque mihi frustra expectanti erat manendum. Sequenti anno, cùm ad exitum Iunij expectassem, omnis spes redeundi in Germaniam eo anno sublata erat, &, quod durius navis annotina ex Dania nō venerat: atque menses ferè quatuor & panis & vinum nos defecerant. Hærebant tunc in Islandia Lusitani aucupij gratia non admodùm magna navi; hi

falcones nobiles, & inter hos albos, magno numero abducebant. Cum his visum est potiùs in Lusitaniã trajicere, quàm ad alterum annum, aut Danos, aut Germanos expectare. Cùmque Præfecto vectigal darent, egit cum illis meo nomine de sumptibus, ut cum illis navigarem, sumptusque ille liberaliter solvit, meque honorificè cum dono non contemnendo dimisit. Erat haud procul à Regia domo minister quidam, Ionas nomine, is me antequam discederem familiariter salutabat, nam per id tempus quo in Islandia fui aliqua mihi fuit cum illo familiaritas, cui etiam libros meos reliqui: is mihi discedenti, amicitiæ erga, in sudario tres nodos nexit, promisitque secundum ventum, dicens, si quando fortè in mari venti contrarij fuerint, aperi hos nodos, meique tunc memineris. Cùm verò ad xx Septembris diem navigassemus, ac jam Hispania nobis in conspectu esset, tanta fuit malacia, ut ne ventum quidem sentiremus, idque toto triduo. In ista malacia incidit mihi

mihi promiſſio amici, placuitque experiri, ſolvo primum nodum, mox poſt horam exortus eſt ventus mirè ſecundus, ſed admodum leviter ſpirans, reſolvo ſecundum, ac tertium, ſtatim cœpit magis ac magis increſcere tempeſtas; ita quidem ut poſt biduum in Tago flumine, quod Liſſabonam alluit, conſiſteremus.

FINIS.